

Letter 59: 1 October 1520, Cologne, Georgius Spalatinus to Capito

The autograph original is in Munich, Staatsbibliothek, clm 10357, no. 17.

S.p. Ut habeas perpetuum penes te μνημόσυνον clementissimi nostri principis D. Frederichi Saxonum Ducis, Sacri Rhomani Imperii Electoris, mi amantissime Doctor Capito, ecce nomisma argenteum eius effigiem ita referens ut spirare dixeris. Neque enim dubitare vel possum vel debeo tibi charum fore eius memoriae ergo, qui tibi clementer favet. Nam ita benigniter adnuit hoc pro te petenti, ut vel eo nomine non possim non esse devotior omnibus modis optime de optimis et studiis et ingeniis merito principi, nedum de me, qui nihil sum. Recte vale cum meis omnibus. Cursim ex Colonia Agrippina. Calendis VIIIbribus MDXX.

Georgius Spalatinus.

[Address]: D. Wolfgango Fabritio Capitoni, theologiae doctori, suo amicissimo Spalatinus.